



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum LI. Herculis acta, & apotheosis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

deant etiam atque etiam adolescentes, quam ab ineunte pueritia ordi-
antur telam, quæ puris paratæque ad rationem mentibus mandent semi-
na: quibus colorum initiis rudes animarum tabulas imbuant, ad quas
artes, cogitationes appellant, quod arripiant vivendi genus, quam stu-
diorum ineant viam. Etenim quam quisque à teneris capessiverit vitæ
rationem, eam ad exactum usque senium retinebit. Quocirca Sophar
amicus Jobi c. 20. *Ossa, ait, ejus implebuntur vitiis adolescentia ejus, &*
cum eo in pulvere dormient. Cur quæso, non dixit caro, sed ossa ejus?
Planè, sicut quæ ossibus insident, cum ipsis durefcunt ac durant, ita
prorsus vitia juventutis, ut ibi notat D. Gregorius, quotidie duriora
existunt, ut etiam in senectute solidentur.

SYMBOLVM LI.

Herculis acta, & apotheosis.

Ex 9. *Metam.* 8. *Aeneidos*, *Seneca in Hercule Furente* & *Oetao* & *Na-*
ræali Comite, *Mythologia lib. 7. c. 1. aliisque.*

Ethicè.

1. Cupiditates & affectiones indomitæ sunt monstra Herculis.
2. Hydra Lernæa est invidia, capitosa plebs, & septem vitia ca-
pitalia.
3. Rationis, & Appetitionis pugna per Herculem &
Antæum expressa.
4. Leo Hercules symbolum heroum. Te-
merarius congressus.
5. Labores Herculis morali sensu.
6. Li-
bidinis servitus.
7. Virtus gaudet asperis.
8. Inferit astris.
9. Invidiæ malum.
10. Fraudis & reæ conscientia detectio.
11. Herculis apotheosis.
12. Samsonis & Herculis comparatio.

Hercules Jovis & Alcmenæ filius, nomen habet ab ἥρα Junone, & κλέος
gloria, quod ejus imperijs, magna vi animi & corporis exhau-
stis, immensam gloriam sit adeptus. Dicitur etiam *Alcides*, vel
ab *Alceo* avo materno, vel ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à robore & fortitudine; quæ
ipsum toto terrarum orbe celebrem reddidit: Ex ejus facinoribus, quæ
labores à Poëtis appellantur, illustriora quadam, & ad institutum no-
strum magis facientia, adducemus.

N R

Primum

Primum virtutis ac fortitudinis documentum jam in cunis dedit, cum geminos angues à Junone immisos, teneris unguiculis elisit. 2. Adultior, *Hydrum*, draconem pluribus capitibus pullulantem, face & ferro in *Lerna* palude oppressit. 3. *Cervam* æreos pedes, aurea cornua habentem in *Manalo* Arcadiæ monte, cursu comprehendit, atque interfecit. 4. In *Nemæa* silva, juxta *Cleonas* oppidum, inusitatae magnitudinis *leonem* jugulavit, qui neque ferro, neque ligno, neque lapide interfici poterat; & detractam pellem pro insigni gestavit. 5. *Diomedem* Thraciæ regem, equos suos hospitem carnibus & sanguine pascentem devicit, devictumque, suismet equis in pabulum dedit, & equos postea trucidavit. 6. In *Erymantho*, Arcadiæ monte, terribilem *aprum*, omnia circumcirca vastantem, cepit, eumque vivum ad *Eurystheum*, Mycenarum regem, durissima quæque Junonis nomine imperantem; attulit. 7. *Symphalidas* aves humanis carnibus vescentes, (à *Symphalo* Arcadiæ oppido, vel lacu, vocatas) solis radios multitudine, & magnitudine obumbrantes, omnemque Arcadiam evastantes, sagittis confixit: vel ut alii volunt, ahenei sonitu crepitaculi procul fugavit. 8. *Taurum*, insulam Cretam damnis & terrore replentem domuit, eumque vinctum ad *Eurystheum* attulit: qui postea eum Atticæ regioni immisit non minore cum noxâ: sed à *Theseo* interfectus est apud *Marathonem*. Ovid. 7. *Metam*: 9. *Acheloum*, *Calydoniæ* fluvium cornibus ferocem superavit, & uno cornu truncavit. 10. *Busiridem* Ægypti regem hospites suos mactantem occidit. 11. *Antæum* *Terra* filium, immani magnitudine & crudelitate gigantem, secum luctari cogens, semel iterum, ac tertium prostravit. Verum cum ea esset adversarij vis, ut quoties terram, scilicet matrem suam, attingeret abjectus, toties validior resliret ac resurgeret; Hercules medium arreptum, è terra sublimem tamdiu sustinuit & compressit, donec disruptus expirârit. 12. *Calpen* & *Abylam*, montes, alterum in extremis Hispaniæ, alterum in Mauritanîæ finibus, antea conjunctos, disjunctis. 13. *Aurea mala* in *Hesperidum* hortis, interempto prius dracone pervigili, qui ea custodiebat, sustulit. 14. *Cælum*, jam fesso, & succumbente ponderi *Atlante*, humeris tulit. 15. *Geryonem*, Hispaniæ regem tricorporem, bello superavit, ejusque armenta abduxit. 16. *Cacum* latronem, *Vulcani* filium, semihominem & flammivomum, bovesque abactos, & cauda arreptos aversis vestigijs in speluncam suam trahentem, oppressit. 17. *Laciniûm* latronem, extremam Italiæ oram infestantem, sustulit, ibique

bique Junoni Laëniæ templum constituit. 18. *Centauros* Theſſalia populos, bimembres, id est, partim homines, partim equos, cecidit; nam cum à *Pholo*, uno ex Centauris, hospitio fuisset perhumaniter exceptus, aliique Centauri vini odore concitati in pocula involare vellent, alii pinus cum radicibus evulsas pro armis haberent, alii saxa ingentia, alii lampades accensas, alii secures magnas; commissum est proelium; Hercules multos trucidavit, cæteros in fugam vertit. 19. *Augia* regis Elidis stabulum, trium millium boum capax, immisso Alphæo flumine repurgavit. 20. *Hesionem* Laomedontis Troianorum regis filiam, monstro marino expositam, liberavit, occisò prius cetò: sed cum Laomedon equos præstantissimos, in præmium illi promissos denegaret, Hercules indignatus Troiam evertit, & interempto rege, Hesionem Telamoni, qui primus murum conscenderat, in partem prædæ concessit. 21. *Amazones*, bellicosas mulieres, magnam Asiæ partem occupantes (dictas, quod altera è mammis careant ab A. privante, & *μάζος* mamma, quam levam, arcus tendendi causâ sibi præciderant) debellavit, earumque reginam *Hippolyten* cepit, eiusque baltheum ad Eurystheum retulit. Captam verò, Theseo bellorum socio dedit, ex qua Hippolytum, insignem & castissimum juvenem suscepit. 22. Ad inferos descendit, & *Cerberum* tricipitem canem, iter prohibentem, triplici catena vinctum ad superos traxit, Theseumque amicissimum ab inferis reduxit. 23. *Aquilam*, quæ Promethei in Caucaſo monte religati perpetuò renascens jecur exedebat, sagittis trajecit. 24. *Brevia*, & *Syrdes*, periculosissimos in mari Libyco sinus, amissâ navî, pedes superavit. 25. *Columnas* duas, de ejus nomine Herculeas dictas, in mari Gaditano erexit.

Atque hic tantus, talisque Hercules, possit tam egregia fortitudinis documenta, in molles feminarum amores incidit, miseræque interiit. In iis *Omphale* fuit, regina Lydiæ, quæ fortissimum virum adeò dementavit, ut cogeret eum sagittas & clavam, leonisque exuvias, cum calatho & colo, cultuque femineo permutare, & fusum trahere.

Quod exprobrat ei Deianira apud Ovid. in Epist.

Non pudet Alcidem victricem mille laborum

Rasilibus calathis imposuisse manum?

Crassaque robusto deducis pollice fila:

Æquaque formosæ pensa rependis heræ.

Diceris infelix scuticæ tremefactus habenis.

Ante pedes Dominae pertimuisse minas.

N n 2

Deinde

Deinde in amores *Ioles*, Euriti *Oechalix* Regis filix, delapsus est; quod cum *Deianira* conjux rescivisset, per *Lycham* servum, tunicam ei submitit venenato *Nessi* Centauri sanguine (quem *Hercules* ob intentatum uxori suæ flagitium, sagittis trajecit) infectam; futurum rata, ut ea res languentem mariti amorem excitaret, eumque ab aliis feminis avulsum, ad se unam revocaret; nam Centaurus moriturum se sentiens, ut hostem ulcisceretur, vim vesti amatoriam inesse persuaserat. Quam cum *Hercules* sacrificaturus induisset, coepit paulatim virus colore membrorum resolvi, & præsentissimam pestem per omnes artus spargere. Tantis cruciatibus in furorem heros versus, *Lycham* famulum, ignarum fraudis, è *Cenæo* monte in *Euboicum* mare præcipitavit; ipse autem frustra conatus excutere flammam, postquam arcum & Sagittas *Philocteta*, fideli laborum & itinerum comiti donaverat, in ardentem se pyram, in *Oeta* monte exstructam conjecit, & inter graves ejulatus, animam efflavit. Quod *Deianira* audiens, dolore percita, mariti se clavâ interfecit; ex cuius sanguine postea nata est herba, quæ *Nymphaea* & *Heracleon* dicitur. *Hercules* autem tanquam expiatus ignibus, meliore sui parte in cælum abiit, ubi receptus inter Deos, dignum tantis laboribus præmium est consecutus.

Præcipuos labores ac laudes *Herculis* enumerat *Ovidius*. 9. *Metam.* hisce versibus.

Mors mihi munus erit; decet hæc dare dona novercam (a)
 Ergo ego sædantem peregrino templa cruore
 Busrin domui? sævoque alimenta parentis
 Antæo eripui; nec me pastoris Iberi
 Forma triplex, nec forma triplex tua Cerbere movit?
 Vosne manus validi prestistis cornua tauri?
 Vestrum opus *Elis* (b) habet, vestrum *Symphalides* undæ,
*Parthenium*que nemus? (c) vestrâ virtute relatus
Thermodoontiaci cœlatus *balthæus* auro?
 Pomâque ab infomni malè custodita dracone?
 Nec mihi Centauri potuere resistere, nec mi
Arcadiæ vastator aper? nec profuit *Hydræ*
 Crescere per damnum, geminâsque resumere vires?
 Quid? cum *Thracas* equos humano sanguine pingues,
 Plenaque corporibus laceris præsepia vidi,
 Visâque dejeci, dominumque, ipsosque peremi?
 His elisa jacet moles *Nemæa* lacertis:

(a) *Iuonem.* (b) *Augia stabulum.* (c) *Vbi Cervæ arripes.*

His

His jacet horrendum Tiberino gurgite monstrum:
Hac cælum cervice tuli. Defessa jubendo
Sæva Jovis conjux: ego sum indefessus agendo.

Qui Herculis facinora ad historiam revocant, dicunt eum ætatis suæ
auctem præstantissimum fuisse, magnasque ductasse copias: quidquid ter-
rarum Oceano cingitur, peragrâsse: sustulisse tyrannos, quotquot erant
graves, & subjectis intolerabiles; aut si qua civitas injuriosè finitimas di-
tiones infestaret, inmani assueta victui, aut hospitem nefariis gaudens cæ-
tionibus. Pro quibus legitima regna, moderatasque respublicas constituit,
& in vitam, humanos induxit mores, ac sociabiles. Adhæc cum Græcis
juxta versatus est ac barbaris, cum maritimis, atque mediterraneis: quibus
antea malè conveniebat per infida commercia; & in desertis terris urbes
condidit, fluminæque avertit, campos inundantia; vias aperuit in diffi-
cilibus ascensu montibus; nihil non molitus, ut mare & terra quàm la-
tissimè paterent cunctorum usibus mortalium. Hæc Dionys. lib. 1.

Ethica.

I. (d) Si moralem sensum spectemus, quid aliud sunt tot monstra
domita, & exterminata, quàm pravæ concupiscentiæ sub jugum rationis
missæ, & varia animi vitia expugnata? Nam quòd Hercules etiamnum
infans cunabula sua virtute illustravit, geminos serpentes suffocando,
quid aliud innuitur, quàm indolis bonæ radios jam in prima ætatis aurora
elucescere? *segullum* est terræ genus in summo solo, ex quo metallarii co-
gnoscunt subesse venam auri: quare visis his signis perfodiunt terram,
& latens aurum eruunt. Pari ratione pueritia dat specimina futuræ pro-
bitatis vel improbitatis. Ovidius canit:

Ingenium cœleste suis velocius annis
Surgit, & ingrata fert mala damna moræ.

Et illud alterius Poëtæ:

----- Virtus non postulat annos.

II. (e) Hercules ab anguibus ad Hydram, seu Draconem, gradum
pugnando & vincendo fecit. Quæ bellua quid aliud est, quàm vel *Invi-*
dia, quæ superanda, ad virtutem grassanti; vel plebis opinio & obtrecta-
tio, utique viro forti & sapienti contemnenda. Utrumque expressit Ho-
ratius. De Invidia in Epistolis ait:

N n 3

---- Diram

(d) Cupiditates indomita sunt monstra Herculeæ. (e) Hydra Lerna est invidia,
plebs capiosa, & 7. vitia capitalia.

----- Diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit.
Comperit invidiam supremo sine domandam

Idem de plebe lib. 2. Epist. 1.

Bellua multorum es capitum? nam quid sequar? aut quem?

Alii namque aliis tenentur studiis, & difficile est feligere, quos imiteris. Non enim, inquit Seneca, ea felicitas est mortalium, ut tutior sit via, quàm plures præeunt. Et universim de vitiis dici potest, resectis aliis, alia subnasci. Horat. lib. 4. Od. 4.

Non hydra secto corpore firmior

Vinci dolentem crevit in Herculem.

Hinc in adagiis *hydram secare*, dicitur, cui post multiplices victorias, semper nova seges pugnandi objicitur. Expertus est Hercules, cui post Lernæam belluam interfectam, cum novis identidem monstris decertandum fuit. Ubi notandum, ad hydram perimendam, & ferro & igne opus fuisse, quò adurerentur succrescentes capitum fibræ: nam frustra ferro compescas malum, nisi semen mali tollas in radice. 2. Hydra oppressa, Symbolum etiam est Principis magnanimi & prudentis, rebelles perdomantis, vel ferro, id est, robore ac armis: vel igne, consilio & sapientia. 3. Per Hydram Lernæam intelligas 7. vitia capitalia, ex quibus veluti fontibus ac capitibus, tanquam ex corrupta radice, omnis generis pestes oriuntur. Hercules sanè, nisi septem Hydræ capita præcidisset, mille alia repullulassent. Testis ipse de se apud Ovidium lib. 9. Metam. ubi loquitur de Acheloo sub serpentis specie secum dimicante:

Pars quota Lernææ serpens erit unus Echidnæ?

Vulneribus fecunda suis erat illa: nec ullum

De comitum numero caput est impunè recisum;

Quin gemino cervix hæredæ valentior esset.

Hanc ego ramosam natis è cæde colubris;

Crescentemque malo, domui: domitanque peremi.

Eiusmodi Draconem seu Hydram vidit Joannes Apocal. 13. v. 1. de mari, tanquam ex Lernæa palude, *ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata.* In quem locum Blasius Viegas noster: Capitalia, inquit, vitia comparantur draconi, qui ex serpente diuturnitate temporis in grandem magnitudinem excrescit, ita septem vitia capitalia dum sinuntur sive consuetudine, sive naturæ corruptelâ

ruptelâ excrefcere, demum fiunt lethifera, & immenfi dracones exiftunt. Quod malum ne exiftat, amputanda ferpentum capita, dum parva funt, juxta pſalmum 136. ubi beatus dicitur, qui *Babylonis parvulos alliferit ad perram*. Id eſt, concupiſcentiam, dum parva eſt, abſciderit aut contriverit. Deinde comparantur ſeptem capitalia vitia ſeptenis draconis capitibus, quoniam draco criſtam geſtare capite dicitur, Apoſtolus Joannes *cornua* appellat; omnia quippe peccata quandam ſuperbiæ criſtam gerunt, quatenus homo per ſuperbiam contemnit Divinam legem, per quam à peccando prohibetur; quod Hieremias indicat cap. 1. *Confregiſti jugum, rupiſti vincula, dixiſti: non ſerviam*. Per *diademata* ſignificatur, hæc ſeptem capitalia vitia in mundo dominari, & propterea inſtar Principum, regales coronas in capite geſtare. Paulus monet Rom. 6. *Non regnet peccatum in corpore veſtro mortali, ut obediatis concupiſcentiis eius*. Quid enim indignius, quàm ſe huic tyrannidi ſubjicere? Nam *Omnis*, Chriſto aſſerente, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Joan. 8. v. 34. Hæc Viegas. Arripiat igitur Hercules Chriſtianus *clavam* firmæ voluntatis ab honeſto non diſcedendi, & *facem*, id eſt, dolorem eius non repetendi, quod adverſus propositum ſuum deliquit, idque frequenter quotidiana in ſemetipſum inquisitione; enimverò ſi ſtudium hoc ſingulis diebus excolatur, *Excetra* viroſæ, nempe Concupiſcentiæ praviæ vires minuentur, paulatimque ſuccidentur ac exurentur.

III. (f) Inter alia Herculis certamina, difficile unum cum Acheloo fuit, de quo in Acheloo; deinde cum gigante *Anteo*. Hæc luſta pugnam *Rationis* cum *Appetitu* ſignificat. Eſt enim Hercules, inquit Cornelius à Lapide in cap. 11. Eccleſiaſtæ v. 10. *Mentis & Spiritus Symbolum*; per *Antæum*, id eſt, *contrarium*, denotatur *corpus*. Herculis pectus eſt ſapientiæ & prudentiæ ſedes, cui perpetuum eſt cum Appetitu & Voluptatibus certamen; pertinaciter enim reſiſtunt, nec facile ab illa ſuperari ſe ſiunt; niſi *Corpus* ita in altum, & procul à rerum terrenarum contactu mens extulerit, ut pedes, hoc eſt, affectiones, nullum ampliùs fomentum à tellure accipiant; imò cupiditates, velut terræ filii prorfus interficiantur. Et hæc eſt omnium victoria præſtantiffima: unde in Scipionis Africanum tumulo legitur elegantiffimus hic Verſiculus:

Maxima cunctarum Victoria, victa voluptas:
Et Boëtius hoc ipſum Herculis factum celebrans, ait:

----- ſuperata tellus
ſidera donat,

Demosthenes

(f) *Rationis & appetitus luſtama n.*

Demosthenes Sapientis esse dicebat, nunquam animo connivere, neque affectibus licentius indulgere, ne effrenati rationis imperium deserant. Et Cicero in Offic. Appetitus omnes contrahendi, sedandique sunt, excitandaque est animadversio, & diligentia, ut nequid temere ac fortuito, inconsiderate, negligentisque agamus. Et ad Quint. Fr. Epist. 1. Esse abstinentem, continere omnes cupiditates præclarum magis est, quam difficile.

IV. (g) Leo ab Hercule occisus (quemadmodum à Samfone quoque factum) & detracta pellis, virtutis est spoliū, ac hieroglyphicum. ideoque Diogenes conspicatus quendam, eo ornato sibi gloriose placentem, exclamavit: Ecquid virtutis indumentum vituperas? Laërt. in Diog. Hinc proverbium, *asinus in pelle Leonis*, in eos dicitur, qui se magnificentius ostentant, quam pro sua conditione; ut asinus ille Cumanus, qui Leonis sibi exuvias applicans, terrorem multis incutiebat: sed postea ex ruditu & auriculis agnitus, personatus leo probe fustigatus est. Herculis æmuli fuere Agamemnon, Æneas, alique heroës, fortitudinis Symbolum amictu leonino, præferentes. Herculem se Albertus V. Dux Baviaræ cognomento *magnanimus* ostendit, qui leonem pro assecla cane, & pro scabello, pedibus substratum habuit. Cujus vultum etiam pictum Cerberus Turcicus extimuit; ejus manum romphæâ, tanquam clavâ, armatam, *Hæresis*, Hydra feralis, contremuit. Præterea Herculem leonis indutum pelle, clavam manu ferre, cætera nudum, significat illum fortitudine sua defensum, adjectitiis armis non indignisse. Quò etiam facit, quòd ejus *Clava* fuerit ex robore, seu ligno quercino confecta, ad ostendendum solidæ virtutis simulacrum: quercus enim firmissima adversus ventos, nil nisi folia amittit. Pier. lib. 51. Unde in nummis Nervæ Traiani Imp. ex S. C. leonis caput, cum clavâ supererecta, impressum est: inscriptio: *Optimo Principi*, cuius idea fuit Hercules: Alii scribunt, Clavam ex oleastro fuisse, quam post victoriam de gigantibus cælum oppugnantibus, relatum, Hercules Mercurio consecravit, quæ repullulavit, actisque radicibus in insignem arborem excreverit: quò innuitur virtutem & tamam non inarescere, non aboleri vetustate temporis, sed semper vigere & virere sicut oleaster.

(b) Herculis dormientis pollicem pygmæi, cubitales masculi dimetiri ausi, ex unico digito mirati sunt molem manus; quia tamen sopitum deprehenderant, aggressi sunt armis impetere: sed is subito experrectus, veluti pulices partim contrivit, partim leonina pelle, quam gestare

(g) Leo Hercules heroum Symbolum. (b) Temerarius congressus.

gestare solitus, involutos asportavit. Ex Philostrato. Nota, quàm temerarium sit eos insectari, qui viribus aut sapientia prævalent; pygmæi in uno pollice metiendo laborabant, & totum tamen Herculem invadebant. Adde lemma: *volunt non valent.*

V. (i) Quia verò supervacaneum sit, singulis Alcidis gestis pressius inharere, perstringemus pleraque. Rapaces stymphalidis lacus aves superata, docent avaritiam vincendam virò forti & sapienti. *Amazonum* reginæ ablatu balthæus, indicat, femineos artus, illecebrâsque subigendas. *Taurus* Cretæ domitus, denotat iracundiæ impetum frangendum. *Centauri debellati*, vinositatem fugiendam: *Cacus* flammivomus, fraudulentam malitiam esse cavendam. *Augia stabulum* perpurgatum, urbem aut provinciam sceleratis hominibus liberatam: aut animum à flagitiis mundatum. *Dracone* superato, poma aurea ex Hesperidum hortis sublata, præmia virtutum, oppressis vitiis. *Cerberus* triceps, tria inprimis vitia designat, *superbia, avaritia, libidinis*, per quæ homines ad inferos devolvuntur. Hæc, Cerberò eductò ab Hercule, aut, ut à forti probòque viro devicta, aut, ut à sapiente hominibus manifestata, indicantur. Hercules *calum* humeris sustentans significat virum, pro virtute, religione, salute communi ardua quæque in se suscipientem. *Columina* in mari Gaditano, tanquam in expeditionum Herculearum termino ex ære exstructa & erecta, cum inscriptione: *Non plus ultra*, ostendunt, metam laborum & laudum Herculis, à nullo alio attingi posse: attingit, & superavit Carolus V. gloriosissimæ memoriæ Imp. qui imperium suum per ingentia terrarum, mariùmque spatia usque in Indiam Orientalem & Occidentalem extendit, unde illius verba: *Plus ultra*. Cæterùm per columnas constantia & fortitudo denotatur, quæ necessaria est ad virtutem & laudem comparandam; quæque durat & persistit inter assilientes fluctus; *quam stantem injurioso pede non prouat Fortuna*. *Horat. Od. 35. lib. 1.* Quod verò Hercules, *Omphales* amore dementatus pensum inter feminas traxerit, significat viros etiam fortissimos & sapientissimos per mulieres emolliiri & emasculari.

VI. (k) Hic idem Hercules (exclamat Mythologus) post tot superata pericula, post tot latrones de medio sublato, post purgatum horrendis monstris orbem terrarum, *Omphale* captus amore, multa turpia, & primis rebus gestis indigna commisit. Cur hæc litterarum monumentis tradita sunt? aut cur ad posteros transmissa? ut nos commonefacerent antiqui sapientes, virò bono semper esse vigilandum: quia si parumper oculos à virtute deflexerit atque conniveat, ab appetitia tanquam à rapidissimo

(i) *Laborum Herculis explicatio brevis.* (k) *Libidinis servitium.*

pidissimo fluvio, ad libidinem & ad illegitimas voluptates defertur, suapteque natura prolabitur. Hic propter muliebres (nempe *Deianira* & *Joles*) amores postea in crudelissimum genus mortis incidit, quoniam voluptatum omnium finis est dolor & miseria. Hæc ille. Quenam verò turpior servitus, quis probrosior mancipatus, quam servum esse libidinis? Domitorem orbis ad pedes puellæ procumbere, eius minas extimescere? clavam cum colo, exuvias leoninas cum stola muliebri permutare? O dedecus! ô probrum! ô dementia! Nonne hîc quoque, verum illud Regum lib. 3. c. 11. quod de Salomone scriptum: *averterunt mulieres cor eius*. Usque adeone sapere & amare, ne sapienti quidem, aut forti datur? etiam orbis terrori? Prô nefas pudendum! De se ipso loquitur apud Propertium effeminatissimus Alcides:

Idem ego Sidoniâ feci servilia pallâ
 Officia, & Lydâ pensa diurna colô.
 Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
 Et manibus duris apta puella fui.

Eandem ignominiam subiit Assyriorum Rex Sardanapalus, qui positus masculi sexûs indumentis (ô flagitium!) mentitus est feminam, interque puellas & eunuchos evirator spadone, delituit. Denique à Præfectis suis, *Nini* seu *Niniva* obsessus, inter mulierum greges & instrumenta luxuriæ, se & illas incendiò absumpsit. *Trogus*. Hunc rogam libido incendit, quemadmodum pyram Herculis. Quid sit muliebri se iugo subdere, etiam Ninus Rex Babyloniorum potentissimus expertus est. *Semiramis*, Syra natione, vernæ Regii ancilla, corpore quæstum fecerat. In quam cum incidisset, eamque dilexisset Ninus, ita hominem in potestatem suam redegit, contempsitque, ut licere peteret sibi, & permitti, unum diem in folio regio sedere, diademate redimitam, & responsa gentibus dantem. Quod cum ille concessisset, edixissetque, ut omnes ei, perinde ac sibi parerent, & dicto essent audientes: gessit se in primis præceptis, ut periculum faceret, moderatè. Quos ut nihil obstrepentes, sed impigrè mandata exequentes vidit, Ninum corripit, mox vinciri iussit; denique etiam otruncari. Hoc habet servus & mancipium Cupidinis.

VII. (1) Sed ad Herculem, quem iracunda Juno quò magis adversis rebus exercuit, hòc magis illustravit. Præclare Seneca ad Helviam c. 5. Nec secunda, inquit, sapientem evehunt, nec adversa dimittunt. Præclariùs S. Ambrosius lib. de Jacob, & vita beata, c. 8. Manet semper inter adversa & delectabilia virtus perfecta, neque adversa de perfectione eius

(1) *Virtus gaudet asperis.*

eius quidquam minuunt, neque delectabilia adjuungunt perfectioni. Et paulò post. Perfecti enim viri est communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere: nec succumbere iis, quæ plerisque terribilia, & formidolosa videntur; sed quasi fortem militem gravissimum casuum sustinere incursum, conflictus subire, & quasi providum gubernatorem, navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium fulcando undas, quàm declinando. Hæc S. P. Dignum Deo spectaculum, inquit Seneca lib. 2. de Prov. vir fortis cum mala fortuna compositus; qualis fuit Hercules. Est autem virtus in afflictione clarior. Eleganter S. Bernardus serm. 27. in Cant. Stellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in adversis. Quis Herculis virtutes nosset, nisi eas casus ardui detexissent? Titulus longè speciosissimus. Hercules *Alexicacus*, malorum Depulsor, monstrorum Domitor, Orbis terrarum Pacator. Hos titulos contulerunt Junonis odia, quæ profuerunt nocendo.

VIII. (m) Virtus tot malis exercita, Herculem astris inseruit. Tullius in Tuscul. Abiit ad Deos Hercules, eò nunquam abiturus, nisi cum inter homines erat, eam sibi viam stravisset fortiter faciendo. Juno, quæ vivum Herculem ut è pellice natum (quod sacrâ narrante historiâ, etiam Jephthæ, fortissimo viro, maximam invidiam peperit) oderat, post mortem in Deos translatum laudare inducitur:

Ἡς ἀγέρῃς ἰδρωτὶ καλὴν ἀπέδωκεν ἀμοιβήν
 Ἡς γενέτης Ἡρακλῆς. ἐπὶ πόνος ἀσπεται εὐχος.
 Ἀνδράσιν οἶδεν ἄγειν μετ' ἀπέρονα κόβλον ἀέδλω. lib. 1. anthologia

Id est, *virtutem tuam, facinora tua virtutis plena, ò Hercules, præclarè remuneratus est pater tuus Jupiter.* Ita sanè. Nam labor immortalium, ac velut in orbem semper succedentium certaminum, gloriam hominibus immensam conciliare solet. Juno imago est invidiæ, quæ præsentem virtutem odit, sublatam requirit: & magnitudine præstantium facinorum victa, obtreccationes vertit in encomia.

IX. (n) Notandum hîc, quousque viros fortes persequatur invidia. Nam cum Hercules semper major rediret post exantlata cum demandis monstris discrimina; post Lycum, regni Thebani occiso Creonte & duobus ejus filijs, iniquum infellorem, & factionis consortes interemptos, Juno tam feliciter gesta non ferens, furorem immisit victori; quo correptus, uxorem *Megaram* Creontis filiam, geminis cum liberis interfecit. Quod ubi ad se reversus intellexit, doloris impatien-

O o 2

niâ

(m) Virtus inserit astris. (n) Invidia malum.

tiâ, vix Thæsei detentus precibus, ne sibi mortem inferret, cum eodem Athenas purgandus proficiscitur. Nam & Mauors à Neptuno ibi in iudicium vocatus, de cæde filij sui Halirrothii, omnium Deorum sententiis absolutus est. Locus autem in quo dicta causa, nominatus à Marte Arcopagus, atque inde causa capitales ab Arcopagitis Judicibus XII. audita. Ergo in hoc quoque rigidissimo iudicio etsi pro Hercule pronuntiatum esset, ad extremum tamen iræ & invidiæ Junonis succubuit, quæ non contenta, furente Herculis manu in uxorem ejus & liberos innocentes sæviisse, ipsum denique in funestam pyram adegit, vivum exurendum. Quid acerbius his odiis, quorum etiam indicia in ipso cælo extare voluit impotens animi Dea? de qua re sequens epigramma:

Lernæam Alcides dum clavâ sævit in Hydram,
Collâque multiplici vulnere secta metit:
Cancer adest ira Junonis missus iniqua;
Victoris mordet chela recurva pedem.
Indignans heros contemptum proterit hostem;
Invidiam stimulat non levis inde dolor.
Juno locat cælo Cancrum. Vah Jupiter! istud
Debit uxori non licuisse tuæ.

X. (o) Caci speluncam & interitum eleganti hypotyposi depingit Maro. 8. Æneid. quam eandem sive fabulam, sive historiam discretissimè refert Livius lib. 1. Herculem, inquit, in ea loca Geryone interempto boves mira specie abegisse memorant, ac propè Tiberin fluvium, quâ præ se armentum agens nando trajecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo lato reficeret boves, & ipsum fessum via procubuisse: ibi cum eum cibo, vinoque gravatum sopor oppressisset, pastor accola ejus loci, nomine *Cacus*, ferox viribus captus pulchritudine boum, cum avertere eam prædam vellet: quia si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quærentem dominum eò deductura erant, aversos boves, eximium quemque pulchritudine caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus, cum gregem perlustrâisset oculis, & partem abesse numero sensisset, perguit ad speluncam, si fortè eò vestigia ferrent: quæ ubi omnia foras versa vidit, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi, ex loco infesto agere porrò armentum occœpit. Inde cum actæ boves quadam ad desiderium (ut fit) relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit: quem cum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus

(o) *Fraudis & mala conscientia detectio.*

conatus esset, ictus clavâ fidem pastorum nequidquam invocans, morte occubuit.

Ubi nota 1. Cacus fuisse latronem, crudelitatis suæ monumenta in terrorem & ostentationem ad fores spelunçæ affixisse:

----- Foribusque affixa superbis

Ora virum tristi pendebant pallida tabo.

Deinde augebat ejus terrorem, quia

Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros

Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

Scilicet Vulcani incendia in pectus filii migraverant: exhibant de ejus faucibus fumus & flammæ. Quis sustineret cum hoc portento congregari, nisi Hercules, hoc est, vir fortis, periculis, tanquam fatuis & ab opinione vulgi haustis ignibus non absterrendus? Patris ignes vomit filius, ut agnoscas parentum vitia in liberos transfundi. 3. Cacus aversis trahendo vestigiis boves, crimen occultare non potuit. Nil fraus, nil dolus juvit; bos clausa prodidit factum & furtum: adeo nec ipsa spelunçæ tenebræ crimen tegere potuerunt. Quid, quod disiecto per Herculem teterrimo antro, mille aliæ rapinæ & impietates patuere,

Panditur extemplo foribus Domus atra revulsis,

Abstractæque boves; abjuratæque rapinæ

Cælo ostenduntur.

Lento in vindictam gradu fertur Deus, sed certo; ea quoque scrutatur, quæ inaccessa putabantur, uti spelunca Caci

----- vasto submota recessu.

Boves in specu mugientes mihi revocant in memoriam bovem S. Medardo Episcopo Noviomeni à fure subductum, cujus animalis collo appendulam nolam identidem sonantem neque gramine neque stramine obstruere, neque in intima cistarum abditam ulla ratione mutam efficere potuit abactor. De quo plura Surius 8. Junii. Vehementer in verme conscientia lib. 1. c. 1. §. 1. En Symbolum reæ Conscientia.

XI. (p) Herculis apotheosin pulchrè describit Ovidius:

Interea quodcunque fuit populabile flammæ

Mulciber abstulerat: nec cognoscenda remansit

Herculis effigies; nec quidquam ab imagine ductum

Matris habet: tantumque Jovis vestigia servat.

Usque novus serpens, posita cum pelle senecta

Luxuriare solet; squamæque nitere recenti;

O o 3

Sic

(p) *Herculis apotheosis.*

Sic ubi mortales Tirynthius exiit artus,
 Parte sui meliore viget, majorque videri
 Capit, & augusta fieri gravitate verendus.
 Quem pater omnipotens, inter cava nubila raptum
 Quadrijugo eurru radiantibus intulit astris.

Ad propositum Horatius lib. 3. Od. 3.

Justum & tenacem propositi virum
 Non civium ardor prava jubentium,
 Non vultus instantis Tyranni.
 Mente quatit solidâ
 Hac arte Pollux, & vagus Hercules
 Innixus, aves attigit igneas:
 Quos inter Augustus recumbens
 Purpureo bibit ore nectar.

His artibus, id est virtutibus, justitia scilicet & propositi constan-
 tia, Heroës veteres Deorum mensis accubuerunt. Tyrannus ferox erat
 Eurystheus, qui virtutem Herculis exercuit, & ad ingentia præmia pro-
 vexit. *Vagus* hîc dicitur, ob multa maria, & longinquas terras pera-
 gratas. Laudat hæc Seneca in Herc. Oetæo.

Nunquam stygias fertur ad umbras
 Inclita virtus. Vivite fortes!
 Nec Lethæos sæva per amnes
 Vos fata trahent: sed cum summas
 Exiget horas consumpta dies,
 Iter ad superos gloria pandet.

X I I. (q) Juvat hîc apponere elegantem comparationem inter
 Herculem & Samsonem, ut magis atque magis appareat, quod non se-
 mel ostendimus, Poëtarum commenta non esse tam casta & inania, ut
 tanquam ex paleis nihil melioris doctrinæ excuti vel extrudi possit. Nam
 altior sæpe veritas, & quidem sacra, sub his umbris latet. Audiamus
 virum excellentis doctrinæ de utroque heroum istorum differentem.
 Hercules fertur, inquit P. Georgius Stengelius tomo 2. de Judiciis div.
 c. 50. n. 12. in prima jam ætate adeo fuisse robustus, ut vel in cunis
 duos angues, arctato gutture eliserit. De Samfone scribitur: *Crevis*
puer, & benedixit ei Dominus, cepitque Spiritus Domini esse cum eo. Ju-
 dic. 13. Quia scilicet heroica animi & corporis fortitudine eum do-
 navit. 2. Hercules fingitur adamantinas inferorum portas effregisse, ut
 inde

(q) Comparatio Samsonis & Herculis.

inde Cerberum vinctum in auras extraheret : Samson ab hostibus obfessus apprehendit ambas porta fores cum postibus suis & serâ, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron. 3. Hercules etsi apud Omphalem serviit, & effeminatus est, robur tamen corporis non perdidit, sed *Cacum & Nessum*, & alia etiam monstra interfecit : Samson etsi in urbe Gaza vetitis amoribus implicatus fuit, retinuit tamen robur divinitus datum, quo portas urbis convellit cum vectibus suis, & in montem vicinum asportavit. 4. Hercules non gladio, non hasta, sed clavâ armatus; Samson itidem neque ense, neque lancea, sed asini maxilla, tanquam clavâ, mille Philisthæos mactavit. 5. Uterque leonis domitor, leonis exuvias meritus est; ille tamen victori suo pellem, iste dapem dedit. 6. Herculem noverca Juno, Samsonem dolosa Dalila, illa odio, hæc ficto amore agitavit. 7. Hercules Centaurum, Hydram, cervam æripedem, Harpyias, aliâque monstra superavit; Samson Ascalonitarum, Gazaorum, Philistinorumque aliorum impetum fregit. 8. Hercules in monte *Oeta* mortem ultro suscepit; idem fecit Samson, sed tanquam publicus populi sui iudex, vindæque, facultate ad id à Deo accepta. 9. Hercules Abylen & Calpen duos vastissimos montes conjunxit, & in mari Occidentali seu Gaditano duas victoriarum suarum columnas, tanquam munimenta erexit; Samson apprehendens ambas columnas, quibus domus innitebatur; fortissimè concussit, & unâ cum illis fanum idoli *Dagonis*, multâque hominum millia, & unâ seipsum, altiore instinctu, stravit. Vides hic, quid Ægyptij ab exilibus Hebræis; & quid ab Ægyptiis didicerint Græci, heroicæ virtutis ac fortitudinis imaginem, per fabulas adumbrantes. Cæterum Hercules Nemeæus Leo inter astra collocatus, rictu, pectore, caudâ ardente symbolum est hominis iracundi.

Aspice prostratum Nemees in valle Leonem:

Herculeæ dextræ gloria prima fuit.

Tenuit in terris populos: & torret in astris,

Horrida sive solo bellua, sive polo.

Hic typus irati est: quos pectore concipit ignes,

Ore vomit, dextra percutiente jacit.



SYM-